



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philosophistæ Seu Excerpta Pauca Ex Multis Libris, Thesibus, Dictatis Theologicis

[S.l.], [ca. 1692]

1670. Idem sub P. Antonio à Burgundia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39173

I. PARS.

IDEM COLLEGIUM LOVANIENSE.

1643.

Pater Ludovicus Schildere S. J. Theologia Professor Theses Lovanii propugnandas 28. Julii 1643. in lucem edidit, hoc præfixo titulo, THEOLOGIA. Conclusionem XII. De Peccati essentia & malitia, sic habet: Peccatum invincibiliter Deum ignorantis, licet graviter legis naturæ violativum sit, nunquam tamen Dei injuriam contrahet aut offensam.

IDEM COLLEG. LOVANIENSE.

1668.

ÆGIDIUS ESTRIX Theologia Professor in Collegio Societatis Lovanii edidit anno 1668. Theses defendendas 23. Julii, in quibus non utitur quidem nomine peccati Philosophici, sed rem ipsam docet his verbis: Peccati malitia non consistit formaliter in privatione rectitudinis debitæ inesse actui aut voluntati. Committi potest ab eo qui Deum ignorat invincibiliter; & sic non est formalis offensa Dei, nec meretur pœnam ignis æternam. Præmiserat in iisdem Thesis istius doctrinæ principium dum dixerat: Nullum est peccatum formale, nisi conscientia hîc & nunc judicet de malitia.

Idem Estrix Deum ignorari posse saltem aliquamdiu, quia Deum esse non est per se notum quoad nos, docet in Thesis a. 1669. die 29. Julii defensis.

IDEM COLL. LOVANIENSE.

1670.

ANTONIUS A BURGUNDIA in eodem Collegio Professor alias Theses sustinuit anno 1670. in quibus utitur eodem nomine peccati Philosophici: Peccatum,
ait,

ait, aliud dicitur Philosophicum, aliud Theologicum. Hoc est formalis offensa Dei, ex eoque capite specialem habet malitiam: illud nequidem est peccanti semper imputabile, ut factum contra Deum, ejusque legem, adeoque non apparet unde semper mereatur pœnam sensûs æternam.

IDEM COLL. LOVAN.

IGNATIUS JONGHE anno proximè sequenti mense Julio in *Thesibus impressis* sic loquitur: Peccatum Philosophicum non meretur æternam pœnam sensûs, uti nec originale, quam tamen pœnam peccatum actuale mortale Theologicum mereri manifestum est: non aliâ de causâ eam meretur, quàm quòd sit malitiæ infinitæ. Malitiam infinitam ex eo habet quòd sit gravis formalis offensio personæ dignitatis infinitæ cognitæ quâ talis.

COLLEGIUM ANTVERPIENSE.

PHILIPPUS DE HORNES in *Thesibus defensis Antverpia anno 1675. die 10. Julii num. 21. ita habet*: Peccatum aliud est Philosophicum, aliud Theologicum. Hoc est formalis offensa Dei &c. Illud nequidem &c. prout in *Thesi P. à Burgundia*. Adeoque non apparet unde mereatur pœnam sensûs æternam. In eo consonat *Thesi Patris à Burgundia. Rationem autem cur peccatum Theologicum mereatur pœnam æternam, eandem adfert cum P. Jonghe*: Putamus illud mereri pœnas æternas ex eo quòd sit malitiæ infinitæ, quæ ex eo peti posse videtur, quòd sit gravis offensa formalis personæ dignitatis infinitæ cognitæ quâ talis.

Idem